

nem legum ceremonialium in politia Mosis receptarum valet argumentum. Gal. 3. 21. Heb. 9. 10. Cœpit autem illa libertas post mortem Christi, & ad suam ἀκμὴν pervenit tēpore excidii Hierosolymitani. Debuerunt enim ceremoniæ legis paulatim sepeliri, non autem subito tolli.

VI. Positâ libertate Christianarū ponitur liberum exercitium rerum indifferentium: quæ nempe sic sunt comparatæ, ut suâ naturâ nec bonæ nec malæ sint moraliter, sed bonæ vel malæ censeantur ex usu vel abusu, hoc est, ex circumstantiis. Rom. 14. 14. Hæc verò libertas duplici lege est circumscriptenda: videl. lege fidei, & charitatis; quarum illa respicit in Deum, & conscientiam nostram, hæc in proximum, illiusq; ædificationem. Rom. 14. 1. Cor. 10.

VII. A libertate naturæ ad libertatē gratiæ, & ab hac ad libertatem gloriæ non licet argumentari. Nam libertas naturæ, seu innocentia, locum habuit in Adamo: libertas gratiæ est, quâ in hac vitâ percipimus: libertas gloriæ pertinet ad alteram vitam, quæ fit ut liberi simus ab omni servitute, corruptione, molestiâ. Ro. 8. 21 23. Gal. 5. 17.

C A P I T U L U M XXVII.

De sanctificatione, & bonis operibus in genere.

A Formâ justificationis ad formam sanctificationis

E.

ficationis